

sibi relicto & merè carnali, ubi lux verbi Dei sensus haud serena-
 verit, vel rationis luculam perfectiùs informaverit, exurgunt;
 mentisque cœlum omne obtenebrant; quo minùs solito juba-
 re effulgere, & oblata quævis, Spiritu Sancto DEI Chirago-
 go, neutiquam existente, dijudicare prudenter queat: sanè,
 qui curis rerum seculi hujus premuntur nimiùm, atque pe-
 ctus sollicitum ubivis gerunt, intemperie carnis suæ abrepti sæ-
 pe, omnem providentiæ DEI locum fermè negant: meteora
 in iis varii generis, & terrea & aquea, exoriri frequenter ani-
 mique pendulos reddi posthac, videas: meteorismos utrinque
 mirari dabitur, apud eos quoque, qui alias DEI Patris sui
 amore confisi, filiorum nomen & habent & amplectun-
 tur. *Meteorum terrenum*, haud dubiè fuerit, quando Jesu Di-
 scipuli dixerunt, insignem populi turbam contuiti, quæ, quod
Marc. VIII, 4. comederet, non habebat: *unde hos poterit quis hic in deserto
 panibus saturare? ducentorum denariorum panes non sufficiunt*
Job. VI, 7. 9. *illis, ut quilibet illorum parùm quid accipiat: quinque panes hor-
 deacei, & duo pisciculi, quid sunt in tam multos?* fluctuant illi
 citò animis, atque reprehensionem Optimi Magistri sui idcirco
 incurrunt; quod malè hæctenus vel duritiem cordis edomue-
 rint; sive incredulitatem connatam sibi, evicerint; hoc de-
 mùm in Schola Doctoris sui parum proficientibus, opprobrio
 fuit. Sed meteorismum non nisi morte piandum, apud Israë-
 litas video, animabus suis cibum obstinatâ planè animi diffi-
Pf. LXXVIII, dentiâ, expetentes: *num poterit DEVS apparare mensam in deser-*
19. 20. *to? num panem poterit dare?* hominum nonnulli profectò, post-
 quam dedoluerunt, atque sese proterviæ tradiderunt, in impu-
Ephes. IV, 19. ritatis omnis operationem, cum avaritia, delabuntur: bonis
 temporalibus sicuti pisces hamo inhiare cernas, quo deglutito,
Pf. XXXV, 16. **LXXVIII, 36.** **37.** **Job. XX, 20. sq.** **Num. XI, 33.** **Pf. LXXVIII,**
30. 31. **II. Reg. V, 20.** **II. Sam. XII, 4.** *facili postea operâ capiuntur & intereunt; sic illi non rarò pro
 placenta, blandiuntur, & nequissimè ementiuntur lucellum:
 Jobus, illis admodum imprecatur: hinc omninò factum, cum
 cibus adhuc in ore Israëliitarum esset, atque sub dentibus, ut ira
 contra illos Dei ascenderit. Vix malefidus Gechafius dixerat:
 curram & accipiam, atque domi recondam, cum lepra ipse, cum
 semine suo in perpetuum, percuteretur: meteorum hoc, ani-
 mo ejus subnascebatur desubito, ceu venire viator quidam vi-
 ro ho-*